



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 85. Patriarcha Ferrariam veniens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

omnes, qui cum eo erant, protinus ex equis defiliunt, solo Cæsare equo suo ad hucdum insidente, ex quo primum ad aulæ limen delatus descendit, quod pertransiens obviam factus est Pontifici, qui, ut Imperatorem portæ vicinum cognoverat, folio suo surgens, lentoque gradu incedens, eundem in medio cubilis sui excepit, atque eum tenerrimo affectu amplectens, data dextera, quam Imperator summa reverentia deosculabatur, ad interius suum cubile deduxit, & ad sinistram suam confedere fecit. Quo facto cuncti Cardinales, aliique Principes obsequiosa salutatione Imperatorem venerabantur. Denique postquam secreto aliquamdiu Pontifici collocutus fuisset, eadem pompa sonantibus tubis ad Palatium suum splendide ornatum recessit, ubi profusa largitate, ac magnificentia tanto Imperatore digna habitus est.

Sæcul. XV.  
A. C. 1438.

§. LXXXV.

*Patriarcha Ferrariam veniens.*

Triduo post Patriarcha, qui cum quibusdam Metropolitibus, ac Episcopis Venetiis substiterat, speciosissimo, atque inaurato Marchionis Estensis navigio Ferrariam appulit. In portum delatus, reliquo diei ac noctis tempore ibidem commoratus est, donec de ritu, quo ipse

Concil. to. 13.  
p. 904.

Y 2

a Pa



Sæcul. XV.  
A. C. 1428.

a Papa exciperetur, conventum esset; cum enim Græci, Orientali schismate facto, Primatum Papæ, ac supremam ejus in terris auctoritatem in controversiam traherent, atque hanc ipsam quæstionem in Synodo decidi peterent, ipse Patriarcha primæ, quam in Ecclesia Orientali gerebat, tuendæ dignitatis studiosius parem cum Romano Pontifice honoris gradum sibi reddendum, nullumque aliud præter ætatis prærogativam discrimen inter eos agnoscendum contendebat. Præcipue vero duo sibi concedi postulabat. I. Cardinales sibi etiam obviam procedant; hi enim non comparuerant, solis Episcopis illum excipientibus. II. Ipse non cogatur summi Pontificis pedes juxta Occidentalis Ecclesiæ consuetudinem deosculari. Huic utrique articulo, cum Patriarcha fortiter institisset, Papa juri potius suo cedere, quam pacis bonum impedire volens, ejusdem postulatis annuit; interim vero vetuit, ne Patriarcha Pontificio uteretur pedo, aut per urbem Ferrariensi populo solemniter benediceret.

## §. LXXXVI.

*Patriarchæ obsequium Pontifici exhibitum.*

Conc. tom. 13. p. 904. Hisce omnibus ita compositis, qua-